

B. M. II, 121.  
N. 16, 17.

(X 1877873)  
VELITATIO POLITICA

II R  
5214

De  
LEGATIS.

Quam  
Auxiliò

Dei ter Opt. ter Maximi

Confilio

SUPERIORUM.

Præsidio

Clariss. & Consultiss. Viri

DN. JOHANNIS GRYPHIANDRI

J. U. D. Histor. & Poës. in alma Salana

P. P.

*ibidem*

Publicè

Ventilandam proponit

GEORGIUS SCHUBHARDUS,

Rombilda-Franc.

Non. Augusti.

Augustinus.

Non pigebit me, sicubi hæsito, quærere:  
nec pudebit, sicubi erro discere.

J E N Æ,

TYPIS HEREDUM HENRICI Rauchmaulæ.

Anno 1615.

de Legatis. Vol. XII. 3.<sup>a</sup>  
deff. Annis mundi imperis. Vol. XII. 3.<sup>b</sup>

43

117. 8. 11. 3.  
11. 8. 11. 3.





Ἐν Θεῷ παλάμα.

**P**atum est augurium, patriam  
et Remp. sua ope et operâ adju-  
vare, quod fit et consilium sug-  
gerendo, et suggestum in actum deducendo.  
In illa parte visuntur Cōsiliarii; in hac præ-  
cipuè eminent et emicant Legati; de quorū  
natura et proprietate, hanc presentem συζη-  
τησιν propitiante divini Numinis aurâ pro  
viribus ingenii nostri instituerè collibuit.

CONCL. I.

**L**egati a) æstimantur & censentur, vel ju-  
re communi, vel propriò: illò modò, ju-  
re Gentium: b) hoc verò jure quò nos  
utimur; quod vel Canonicum c) vel Cæ-  
sareum d) Cæsareum est vel publicum, vel privatum;  
Et qui hujusmodi jure censentur, sunt muniti jurisdic-  
tione e) vel non: hi vel aliena f) vel propria ne-  
gotia tractant. g)

A) Legatorum materiam tractaturo omninò convenit primò A  
omnium in vocis inquirere Omonumiam, ne aliàs facilis aberrandi pa-  
teat via; cum ambiguitas in omni re errorum mater proclametur. Sca-  
lig. ex. 148. f. 4. Unde et 7ctus Cajus in l. qui venenum 236. de  
V.S. ambigua mediâve distingvenda monet. Et sanè facilioris doctrinæ  
ergò distinctionem ex jure depromptum invenimus. B) Ex communi o- B

mnum gentium ratiocinatione hi interpretationem recipiunt, proprieq; loquendo vera legationis nomen promerentur, veriq; Legati habentur. Alio nomine dicuntur Oratores, Interpretes, Nuncii, Ambasiatores, Fœciales, Caduceatores. Quibus nominibus licet Auctores indiscriminatim utantur; magna tamen inter illa intercedit differentia, ut latè videre licet apud Kirchn. lib. I. de legat. c. I. nu. 7. & seqq.

**C C)** Jure Pontificio legati indigitantur, qui ad judicandum in provinciam vel regionem ablegantur, non dissimiles Legatis Proconsulum, dicunturq; Ordinarii vel Vicarii Pontificis summi. Et quidem horum alii sunt Legati nati, quos officium & status constituit; ut olim in Anglia erat Archiepiscopus Cantauriensis; hodiè Salisburgensis in Germania & alii; quidam Legati à latere c. 2. extr. de leg. in 6. Varii adhuc recensentur à CC. P. Greg. Thol. lib. 15. c. 4. n. f. J. U. Spangenberg. in Spec. Nob. pr. I. l. 12. c. 7. f. 371. b. Hi cum ex Pontificia pragmatica, & diplomate Papali legem & interpretationem recipiant, veri legati, de quibus nostrum propositum, non reputantur.

**D)** Ita enim distribui posse docet Vultejus in Id. jur. Logic. p. II.

**E)** In duplicem considerationem hi veniunt; Vel enim considerantur de jure veteri, vel novo: illo modo pacis tempore erat Legatus Proconsulis, de quo est tit. in ff. de offic. Proconsul. & Legat. de quibus natura & officio Dd. ad d. t. & Forster. in hist. Roman. videndi. Belli tempore erant Legati militares; eranq; iterum vel Augustales, Consulares, Proconsulares, Prætorii, Proprætorii, Tribunitii &c. de quibus singulis tractat Spangenberg. in Spec. Nob. pr. I. l. 8. c. II. f. 173. Hoc modo, rogæ tempore sunt Commissarii, de quorum jure & natura elegantissimum tractatum memoria templo consecravit Rutger Ruland. Belli tempore sunt Vicarii ducis belli sive Legati, dicunturq; die General Lieutenant. Schonborn. 6. Pol. 16.

**F)** Aliena obeuntes, de jure veterum erant selecti provinciales, de quibus potissima pars tt. in ff. & C. de Legat. loquitur, de quibus Dd. ad dd. tt. Erant autem hujusmodi legationes subditorum ad Principem, plerunq; salutandi congratulandi ve ergò missæ. Hodierno jure & more sunt Legationes istæ, quæ ad Cæsar. Maj. & Pontificem Rom. fiunt; & ille, quæ ad Comitæ & Conventus provinciales à Statibus imperii mittuntur, & qui istas suscipiunt deputati dicuntur Kirchn. Disput. de Rep. 10. thes. I. l. H.

**G G)** Propria tractantes dicuntur liberi, titulares, supernumerarii. Spangenberg. d. I. lib. 8. c. II. f. 174. a. qui publico nomine commendati ob privatam exeunt occasionem. Schonb. 3. Pol. 27.

tionis

*tionis varie à variis adducuntur. Melior mihi, quæ ipsos à liberiore aditu, qui ipsis ad quosvis patet, dici contendit, videtur. De his vid. Cic. 15. ad Att. epist. 6. ad Famil. 12. ep. 21. Cujac. 9. obs. 29. Wefenb. in π. ff. de legat. nu. 3. Lips. in comm. ad l. 12. Tac. annal. Spangenb. d. l.*

CONCL. II.

Legatos vel à legendo, hoc est, eligendo; vel legando, id est, mittendo nomen sortitos autumant.

CONCL. III.

Est autem Legatus mandatarius, ab eo qui potestatem legandi habet, ad sui similem publico negotio ad salutem Reip. conficiendo solenniter missus.

*Varii definiētes nostrum Legatum, varia adhibuere genera, ut constat ex iis, quæ habet Kirchn. d. c. 1. n. 2. Etenim alii personam publicam substituunt. Schonb. lib. 3. Pol. c. 27. & Politici communiter. Verum nimis remotè, quod contra maximam Logicorum, quæ proximum genus in omni re adhibendum precipit. Nonnullis vocab. Curatoris generis loco assumere, arridet. Arnif. c. 17. Pol. doct. & alii. Quod quia verò aperte contrarium, ideoq; opinio ipsorum probari non potest. Notissimi juris est, Curatores esse Magistratus extraordinarios; jam si assumimus, crimen falsi evadit manifestissimum: Magistratus est, qui jurisdictioni præest; Curator est Magistratus; Legatus ex mente illorum, est Curator; Ergò. Quis verò adeò cæcus & Scævus, qui hanc definitionem nostro Legato competere dicat?*

CONCL. IV.

Legatus est vel Togatus, vel Sagatus a) Togatus est, qui tempore pacis publico negotio ad salutem Reip: conficiendo ab eo, qui potestatem mittendi habet, ad sui similem solenniter mittitur. Mittitur autem vel negotii b) vel honoris c) gratiâ: qui negotii causâ mittitur, est vel perpetuus. d) vel temporaneus e) sagatus est, qui tempore belli, ab eo qui potestatem legandi habet, ad sui similem publico negotio conficiendo ad salutem Reip. solenniter mittitur. f)

**A** A) Duplex tantummodò tempus dari, pacis nimirum & belli, extra controversia aleam positum est. Cum verò utroq; tempore emergant caussa & casus, qui legationem exposcant, hocq; in edio, utpote remedio presentissimo commodissimè remederi possint; ideò hos ita distinguere placuit. Quod etiam Gentil. l. 1. c. 5. n. 12. ( licet & alias recensent distributiones ) & Kirchnero l. 1. c. 2. arridere video. Togatus ad differentiam sagati Legatus specialissimè sic dictus, dicitur:

**B** Sagatus è contra Fœcialis, de quo paulò post B) Negotii vocab. variam recipit significacionē, aliquando generalissimè omnia acta & facta, quæ in hac rerum universitate contingere assolent, continet: Deinde in jure privato generaliter omnes denotat actiones, non tantum civiles, sed & criminales l. 5. C. de jurisd. Tertio specialiter tantum pro civilibus actionibus accipitur. In jure publico generaliter pro omnibus actionibus sumitur, quas publicæ rei ergò Legati perficiunt, quarum Catalogum refert Kirchn. c. 2. n. 5. quo significatu recipimus in generali Legati nostri definitione Kirchn. d. 1. Specialiter sumto vocabulo negotii, distingvit honorificam à negotiosa, ut in nostris hisce terminis.

**C** C) Honorificam legationem quidam appellant, quæ suscipitur propter honorificam presentiam, quò pertinent gratulationes ob res benè gestas, susceptum imperium, natam sobolem & similia. Antiquitus hæc usu fuit frequentissima, ut omnium historiarum monumentis probatur, nec hodierno more in desuetudinem abiit. Malè quidam officiosas huic immiscent; siquidem longissimè honor & officium inter se distant; ille enim est voluntatis; hoc necessitatis. Sic voluntaria erat Cosrhoes legatio ad Justinianum Imp. ob victoriam Africanum instituta. Tales quoq; fuere nostro tempore Legationes ad Jacobi Angliæ & Scotiæ Regis inaugurationem. Necessariæ verò provincialium antiquis temporibus ad Impp. ut & moderno more ad eosdem & Alastorem Romanum. Quæ tamen officiosa Legatio, non nisi improprie legatio dici ex dict. potest. Elegantissimè, ut alia omnia, deducit hoc discriminis Kirchn.

**D** d. 1. Vid. Gent. l. 1. c. 7. Besold. cl. 2. disp. 8. thes. 3. D) Perpetuum vulgò Residentem vel Agentem indigitant, cui nihil certi, & in specie demandatur, sed certo loco & tempore subsistere, attentoq; animo, oculisq; perspicacibus singula observare, observata Principi referre, nec quicquam, nisi quod è re Mittentis sit, fieri pati jubentur. Multum tamen interest inter hunc & illos, de quibus est tit. in C. de agentibus in rebus. Hoc genus Legatorum Veteribus ignotum fuisse plurimi Politicorum statuunt. Hinc quidam hujusmodi Legationem non admittunt,

tunt, quemad. de Henrico VII. Angl. Rege A. Gentilis 2. de Leg. 12. scriptum reliquit. Sic literatissimus Kirchnerus d. l. hanc legationem non agnoscit pro legitima, ductus rationibus & l. 4. C. de commerc. ubi Imp. rescripserunt, neminem in alterius provincia jure legationis residere posse. A quo discedit Besoldus Cl. 2. disput. 8. thes. 3. Cui & nos astipulamur. Nec movet, quod in contrarium movit Kirchnerus; cum non opus, ut ore tenus Legatus acta & facta Principi insinuet, nam & literis id peragere potest. Quin negotium & relatio diversa sunt, & non contraria. Nec refert mutuo pacto eos constitui, quia nec hoc legationem infirmat, sed confirmat, & majoris asssecurationis reddit: siquidem ex vulgato brocardico, superflua contractum non vitiant. Deniq; impertinenter d. l. 4. allegatur; non enim de legato ipso loquitur, sed qui iter legati comitatus merces duxerit commutandas, quiq; postea legati reditum ad propria non comite- tur. Et posito, sed non concessio, Imp. rescriptum etiam ad Legatos extendi, nihilominus Legatos & Legationem non ex Imp. constitutionibus, sed communi gentium conventionem legem & interpretationem recipere excipio. E) Qui ad certum tempus negotiumve mittitur, quo E expedito rursus ad mittentem sine mora revertitur. F) Sagatus, hoc F est, militaris, bellicus, qui ut supra monitum, Fœcialis proprio dictus nomine. Objectum vel munera precipua erant, ut ad res armis ablatas repetundas mitteretur, quod si petitis eventus non responderet, bellum indiceret, & bello gesto ad fœdera pangenda prompti paratim esset, sicq; indictum bellum finiret. Singulare Fœcialium collegium fuit, institutum à Numa Pompilio Halicarn. l. 2. Fenestell. de sacerdot. Rom. c. 9. Collegii Princeps vel caput Pater patratus fuit, dictus ab eo, quod ad patrandum, id est, sancendum juramentum, ubi de fœderibus convenerant admitti consuevit. Vid. Fenest. d. l. c. 10. Liv. l. 36. Modum procedendi, qui clarigatio, eò quod clarâ voce facta, de quo Gell. 16. N. A. 4. eleganter exponit Livius lib. 1. latius & explicatius Fenestell. d. l. Vid. Schonb. l. 6. c. 10. Hodie dicuntur Heroldi, quasi exercitui gratiosi, ut conjicit Kirchn. qui bellum indicunt, interim plurimum inter se differunt Fœciales & nostri Heroldi Warem. ab Erenb. l. 1. de fœd. n. 18.

CONCL. V.

Mittendi jus & potestas primariò penes eos tantum residet, qui jura Majestatis habent a) secunda-  
riò

riò etiam Statibus imperii b) augustissimæ Nobilitati Franconiæ, Sveviæ c) & societati Hanseaticæ d) competit.

- A A) Πρώτως, qui summa rerum præsumunt mittendorum legatorum potestatem habent; quia Jus legationis dependet à jure Majestatis Polyb. l. 6. de mil. ac dom. Rom. discip. Bornit. cap. 28. de Maj. Befold. cl. 1. disp. 3. th. 32. B) Ex interpretatione consequentia Imp. enim Statibus Jura Majestatis, quoad sua territoria concessit. Unde natum, quod quilibet Dux in suo territorio censeatur esse Imperator. Dd. comm. Immo limitatè plus potestatis in territorio obtinere, quàm Imp. in toto imperio, & Rex Polonia in universo regno à Schrad. pr. 10. l. 1. n. 33. de feud. Knich. c. 1. n. 362. de subl. terr. jur. dicitur. Quod tamen cum grano salis exaudiendum docet ex Gailio l. 1. c. 6. n. 16. de P. P. Autor de jur. Princ. concl. 89. l. B. de Jurisdictione ordinaria: quamvis Busius catachresin huic locutioni inesse existimet Disp. de Rep. 4. th. 6. C) Dissidentem habemus Kirchnerum c. 3. l. 1. In refutatione siquidem opinionis illorum, qui Anseatico collegio hoc Jus ascribunt eò, quod Imp. & Reges legationibus suis illud cohonestarint, per instantiam sic insert. Si verum esset, quod Jure legationis gauderet, propter d. rationem, sequeretur necessariò & illud, quod scilicet Nobilitas Franconica & Svevica hoc Jure gauderet; sed falsum est posterius; ergò & prius. Rationem connexionis ponit in eo, quod Imp. non rarò legationibus dignatus Nobilitatem Franconicam & Svevicam. Verum non uno laborat instantia ista vitio. Primum enim sibi ipsi contrarius; multoties etenim asserit, imperantis ad parentem Legationem nullam esse. Quod si terminis nostris applicaverimus, quid sentiendum sit, vel cuilibet patebit. Deindè posito, sed non concessò, Imp. Legatos misisse ad dictam Nobilitatem; nihilominus tamen indè nihil concludetur. Argumentum enim loquitur, vel de Legationibus respectu Imp. denegandis, vel respectu aliorum: Si illo modo, tunc verum est, interim nos non ferit: Si hoc, tunc impingit in regulam consequentia, quæ non plus in conclusione, quàm in præmissis est, concedit. De Imp. enim tantum loquitur, & non de reliquis; ergò etiam de illo & non de his intelligi debet. Et hoc nostrum roboratur ex eo, quod tradit Rutg. Rulant. de Comm. pr. 2. c. 4. n. 49. ubi Nobilitatem prænominatam iisdem privilegiis, exceptâ votatione, quibus Status imperii gaudent, uti-frui, & sic practicari asserit. Nec experientia quoad



quo ad hoc nostrum nos deserit. D) Bruningus de var. univers. D  
specieb. concl. 17. hoc jus dictæ societati assignat, quem tacite non  
additio nomine refutat Kirchn. d. l. n. 55. & seqq. & disp. de Rep.  
14. th. 2. lit. C. Verum nihil officiente & efficientibus ratione  
& solutionib. Kirchneri idem cum Bruningo censemus & sentimus.  
Ratio Kirchneri hæc est: Privatis jura publica non competunt:  
Collegia verò sunt locò privatorum l. 4. ff. de corp. & coll. ergò  
jure dictæ societati jura publica non competunt, & per consequens  
etiam jus legationis, quod publicum est. Sed ratio ista de statu  
Imperii antiquo verissima; de nostro moderno non item. Multa  
enim, mutata Reip. formâ, simul immutata dicuntur. Hinc malè  
argumentari ex ll. ad nostra tempora Dn. Arumæus multoties do-  
cuit, quod etiam Politici saniores non insitentur. Deindè licet ad-  
mittatur ratio; tamen nihil contra nos; si modò consideraverimus,  
Collegiis ex jure & natura Collegiorum hoc nunquam accommo-  
dari, sed quatenus ex alia ratione & modo id consecuta videntur,  
vel ex concessione Principis, vel præscriptione, quod in casu nostro  
ferè omnes concludunt. Nam per patientiam Impp. hoc jus per  
400. annos usurpasse dictum Collegium, ex historiis constat:  
Chytr. Chron. Sax. fol. 671. Thuan. lib. 39 hist. Accedit & illud,  
quod nunquam ab Impp. improbatum legitur, quin imò summò  
favore illud prosecuti, proq; illius salute nunquam non solliciti fue-  
rint. Ut noviter factum à D. Rudolpho II. augustissimæ memo-  
ria. In priore solutione Kirchnerus delabitur ad elenchum Omo-  
numiæ; siquidem negotii vocabulum, non ad mercimonia h. l. re-  
fertur, sed ad res publicas, ut s. dictum, expediendas; præsertim,  
quæ defensionem, cujus intuitu primitus Collegium istud coaluit,  
& adhuc conservatur, respiciunt. Nec ignotum quod defensionis  
gratia nobis multa privilegia ex jure gentium indulta. Deinde  
Kirchnerus assumit & concludit, quod Bruningi mens non permit-  
tit, hoc enim innuere vult Bruning. quod privatorum locò non sit  
habendum dictum Collegium, non quod splendor & dignitas ista  
jus Legationis ipsi tribuat. Deniq; malè concludi asseverat; Lu-  
beca & Colonia capita & coronæ, sunt imperiales civitates, & di-  
ctum usurpant jus; Ergò & reliquæ. Nam Socius socio, Collega  
Collega suo, eam, quam extra societatis Collegium & commercium,  
habet conditionem & dignitatem affricare omninò nequit. Verum

B

sanè

sanè, hoc est, sed hòc ipsò non tangit, quod tangere tentat. Nos non de Collegis, sed Collegio quærimus: Collegæ fateor per se jure hoc non gaudent; interim Collegium ejusdem conditionis esse nego, per ea, quæ tradit Br. in l. f. ff. de colleg. quemadmodum dignius rapit ad se minus dignum, sic Collegium ex Clericis & Laicis totum dicitur Ecclesiasticum. Collegium dicitur Ecclesiasticum tanquam integrum; Collegæ tanquam membra non item; cum non quod de integro prædicatur, etiam de membris, nisi simul sumptis, prædicandum. Manet ergò Anseaticum Collegium habere jus legationis. Et sanè cum jus belli & fæderis habeat. R. J. de Anno Christi 1555. 1570. 1576. 1582. 1594. A. B. t. Von den zusammen Verbündnissen. 15. ibique Buxtorf. concl. 98. & Brun. d. l. non video, cur non & jus legationis. arg. l. 2. ff. de jurisd. Finis enim concessus, nomen suum amittit, si non simul quoque media ad illum deducantur concedantur.

#### CONCL. VI.

Mittendus ad sui similem, hoc est, nec superiorem nec inferiorem.

*Hic paritatem requirimus inter mittentem, & eum, ad quem mittitur Legatus; quæ si deficit, deficit quoque legatio. Sed paritatem ritè interpretaberis.*

#### CONCL. VII.

Mittendus a) non quilibet b) sed quem bona quæ interna c) quæ externa d) præcæteris commendant. Taliter instructus vel invitatus e) hanc provinciam suscipere tenetur.

- A* A) Non intelligas volo, quasi unus saltem sit ablegandus; quia tunc contra omnem legationis decorem & splendorem agitur, & magis sorditas, quam dignitas, vilitas quam gravitas & negotii, & missionis apparet. Mittendi igitur, quot negotii gravitas, & missionis dignitas expostulat; interim memori tenendum mente, ne legionem, sed legationem mittamus. B) Hoc ipsò remotas & removendas fœminas volumus; licet aliàs sub masculino fœmininum contineatur l. 1. & l. 195. de V. S. Nulla enim ratio sufficiens afferri potest, quæ hoc suadeat; è contrario vel mille prolata  
facili-

*Facilime, quarum nonnullas & copiosè & ingeniosè Politici expli-*  
*catum eunt. Et sanè quis hujusmodi, quæ Chamæleonti, quem*  
*in nictu & ictu oculi variari, omnesq; assumere colores, præter can-*  
*didum, ferunt haut absimiles, hoc munus, ut gravissimum, ita &*  
*splendidissimum applicare attentet? vid. Kornm. de jur. Virg.*  
*quæst. 40. Sunt tamen quidam, qui quandoq; has admittendas*  
*censent, quorum sententiam cum Kirchnero approbare non possu-*  
*mus. Horum argumenta, quia frivola & levicula, huc transcri-*  
*bere & enervare, odiosum & fastidiosum. C) Aliò nomine dicun-*  
*tur animi. In his requirimus doctrinam, quæ in hominem cadere*  
*potest. Non desideramus illam, quam Cic. in Oratore suo l. 1.*  
*de Orat. Magius in legato nostro l. 2. c. 1. quidem optant, sed non*  
*sperant. Appositè Gentil. l. 3. cap. 1. Turbida, inquit, &*  
*ridicula est hæc virium nostrarum elatio, cum si vel in triplum vita*  
*prorogetur, nedum quidem nos rerum plenam posse cognitio-*  
*nem adipisci. Imò divinitatis potius esse, quàm humanitatis omnia*  
*scire Justinianus respondit. Eleganter Legatum depingit Kirch-*  
*nerus & alii hîc, qui videndi. Paucis: POLITICUS esto. Quale*  
*verò animal Politicus? Graphice Kirchn. c. 4. n. 16. & seqq. ce*  
*Illène, quem hodiè vulgò nobis laudant? quem digitò monstrant? ce*  
*aulicis moribus imbutum, & artibus callidis? qui, quod in Comi- ce*  
*cis spectaculis Gnathonum esse videmus, ad omnium nutus frontem ce*  
*componere, omnibus arridere, gestibus peregrinis, crurumq; flexio- ce*  
*nibus scitè uti, seria salesq; temporis accommodare, Principum ce*  
*gratiam venari, hominum favores aucupari; qui cum omnibus lu- ce*  
*dere, bibere, nasò quemvis suspendere, dictèria jacere, & in com- ce*  
*munis vitæ scena quamvis, ut dicunt, personam aptè, hoc est, simu- ce*  
*latè agere norit? His enim si quem præditum moribus & ingenio ce*  
*vulgò vident, Politicum egregium nuncupant. Mallem per ce*  
*DELL M immortalè, quod apud Ecclesiasticum sapientem est, ce*  
*aureò torquè potius, baccatòq; monili scrofam suam exornarent, ce*  
*quàm Politici nomen tam indignò titulò prostituerent. Mallem ce*  
*inter famosas Thaidas castissimam Penelopem, quàm in eò homi- ce*  
*num genere Politicum constituerent. Quos eò loci si habuerimus ce*  
*Politicorum hodiè major erit proventus (verba sunt Clapm. l. 1. ce*  
*de arc. Reip. cap. 6.) quàm Magistellorum, qui in Scholis ternas ce*  
*docent, aut muscarum in meridie, cum maxumè calet. Istos nostri ce*

temporis *Coturnos* rejicimus, illos accipimus, qui *Reip.* tūm pa-  
cis, tūm belli tempore benè administrandæ prudentiâ, morum & ll.  
civilium jurisq; publici scientiâ præditi. Non incommodè huic  
nostro mittendo accommodari possunt, quæ habet *Rutg. Rul. de*  
*Commissario suo pr. l. lib. l. fere per tot.* *Furius Ceriolanus,*  
*Hippolytus de collibus de consiliariis* *Interim ignea illa inge-*  
*nia, quæ magis rebus innovandis, quàm componendis idonea, quæ*  
*similia cultellis acutis, qui ut facilè scindunt, sic & hebescunt.*  
D *Warsev. de leg. non admittenda judicamus.* D) Corporis sunt  
vel fortunæ. Illa vel totum respiciunt vel partem: Illo modò desi-  
dero. I. *Ætatis integritatem, ut nimir. sit justæ & integræ ætatis.*  
Undè *Græci* *περὸς ἑτάρας* illos indigârunt, innuentes, quod seniores  
huic muneri adaptandi. Et sanè præter exquisitam prudentiam &  
experientiam gravitas *Senibus* inesse solet, hinc gravitatis affecla  
auctoritas emergit: sed in delectu hoc, non cum *Laconibus* ambu-  
lemus, & non tàm canis & annis, quàm annosâ prudentiâ, & ca-  
nâ rerum, ut *Kirchnerus* loquitur, intelligentiâ mittendi *Legati*  
persona æstimanda. Plurimi siquidem ætatis juvenilis, prudentiæ  
verò senilis simul reperiuntur. Sic *C. Valerius Petronianus* ante  
ann. 23. quinquies *legati munere functus* legitur. Optimè agitur, si  
senibus adjunguntur juvenes *Brun. l. 2. c. 6. Kirch. c. 4. n. 69. ll. O-*  
*mnium membrorū conformitatem & proportionem: q̄ qualis sit &*  
*esse debeat, ubertim docent hic alii & aliàs Politici.* Ex hac con-  
formi proportione, & pportionali conformitate, non minima *Legato*  
nostro accedit gratia, quæ ipsum eò magis commendabiliore redd-  
dit, quò magis à fortuna tali munere donatus, præsertim, si ad bar-  
baros ablegetur, apud quos magna vis magnumq; momentū in gra-  
tia consistit. Vid. *remis. Rut. Rul. l. d. l. c. 11.* Hoc modò con-  
sidero eleganter pronuntiandi linguam. Quod quantæ gratiæ &  
momenti, vel quivis intelligit. Hinc quidam reperiuntur, licet  
quoad doctrinam illis ne asinus cedat, nihilominus tamen si donò  
hoc dotati, etiam doctissimos, qui hoc destituti, quandoq; post se  
relinquunt. Hæc scilicet fortunæ spectant vel divitiarum abun-  
dantiam, vel natalium præstantiam. Cur divitiæ requirantur, ad-  
eundi illi, qui hanc materiam sunt persecuti. Natalium splendor  
quantum ad rem præsentem faciat, libet penitus tacere, quàm ali-  
quid de illo dicere. Inde factum atq; etiamnum fieri videmus,  
quod

quod nobilissimi missi & admissi; ignobiliores missi, non admissi, sed remissi. Nota est Legatio Imp. ad Pontificem, quam ob obscuritatem admittere recusavit. Nec latet Legationis Gallicæ quæ Barbitonsori commissa eventus. D) Vid. remis. Rul. d. l. lib. 2. c. 25. n. 10. per adductas ibi ill. nemo officium si idoneus detrectare potest, inquit Cic. 2. off. imò cogi ad hoc potest. l. si quis. ff. de mun. & hon. l. 21. ad munic. neq; patria potestas heic operari quid valet. l. 1. §. generaliter. ff. de vent. in possess. l. honor. ff. de mun. & hon. jus siquidem privatum publico præjudicare nec debet, nec potest. l. 14. ad SC. Trebell. utrunq; sanè juris naturæ est: sed meminisse decet gradus dari, & inferiorem superiori cedere.

#### CONCL. VIII.

Materia vicem obtinent negotia Reip. de quib. sup. conclus. 4. lit. B.

#### CONCL. IX.

Mittendus est solenniter. Solennitas illa est vel formalis, a) vel accidentalis. b)

A) Formalis est Mandatum, quod negotium Legationis, A utpote materiam informat & confirmat. Hoc deficiente deficit legatio, nec minus Legatus dici sine mandato potest, quàm Procurator, si nec ipse mandatò instructus. Unde Cic. 3. de ll. nihil turpius haberi asserit, quàm sine procuratore senatorem, & sine mandato legatum existere. Et quemadmodum Procurator non admittitur ad causam, nisi mandatò munitus. l. 1. C. de mand. Princ. ita nec legatus noster, ut testis est Liv. Halicar. & alii. Distinguit Kirchnerus heic c. 7. & sejungit mandata in rem ab illis, quæ in personam facta. Illa, quæ rem respiciunt, iterum dividit in literas mandati & instructionis; hæc quæ personam concernunt, in illa, quæ commendandi Legatum gratiâ, & fidem adhibendi dantur. Verùm malè. Nulla siquidem mandata nisi in & ad rem dantur, reliqua adjuncti vicem sustinent & complent, ut ipse dicit, adjunctum mandati esse literas oblatis & dati mandati testes. Vera & genuina illa mandata sunt, quæ de re expedienda concepta. Nec opus distinguere inter mandatum & instructionem

eum eò ipso dum mandatum accipit, accipiat quoque instructionem  
& informe infirmumque erit mandatum sine instructione, quã  
quò pacto & modo mandatum expediendum vel extendendo vel  
restringendo ostenditur, estque quasi essentialis mandato. Et  
quemadmodum res & modus differunt, ita & hæc duo, & ut  
modus non est res ipsa, ita nec instructio mandatum. Persona-  
lia mandata non agnoscimus, siquidem ut dictum adjunctum sunt,  
vulgò credentiales vocant literas, in quibus non solum, potestas  
Legati, sed & facultas plena redditur, scilicet quod integræ vitæ  
& spectatæ fidei, & ad rem præsentem accommodatissima. Non  
igitur sejungenda commendatio à fide; nam dum ipsum commen-  
damus, simul quoque ipsi fidem omninò adhibendam indicamus.  
Mandata verò sunt indefinita vel definita, ut Kirchn. loquitur.  
Indefinita liberam potestatem negotii expediendi Legati prudentiæ  
& fidei committunt, in his rebus, quarum consilium & moderatio  
certa haberi nequit. Sic missi leguntur Legati Lacedæmo-  
niorum Athenas. Thucyd. & ut plurimum Athenienses hoc manda-  
tò liberò suos misisse dicuntur, adjuncta clausulâ: Legati præterea  
quicquid boni possunt agunto, referente Rul. dict. l. th. 3. cap. 3.  
n. 15. Hodierno more solent cum puris foliis sigillò mittentis subsi-  
gnatis mitti, exempla aliquot de Carolo Burgundiæ Duce refert  
Comin. in hist. Provide autem caveant, & cautè provideant, ne  
quid fraudis committant, & parem fortunam cum M. Clodio, de  
quo Val. Max. l. 6. c. 3. Venturiò. Id. d. l. c. 2. experiantur. Hinc  
factum puto, quod plerique Politicorum libera mandata, tanquam  
exitiosa & mittenti & misso tantoperè adversentur, nec non, nisi  
in extrema necessitate admittenda judicent. Bodinus l. 5. cap. 6.  
hujusmodi legationes non admittendas esse statuit. Definitò vel  
restricto mandatò instructus, fines illius diligenter observet, nec ex-  
tra chorum saltet, & Morvillerii audaciam assumat, nisi periculum  
longè gravissimum sibi accersere velit. Aulico Pol. c. 39. & 41. Et li-  
cet illud videatur generale, nihilominus specialia eò venire non exi-  
stimet, cum illa, quæ speciali nomine veniunt, sub generali non  
concessa videantur, arg. l. 1. ff. de off. ejuscui. Quod verò ex  
adjuncta clausula; cetera tuæ prudentiæ & discretionis committimus,  
Gail. l. 2. de PP. c. 4. n. 30. Rul. d. l. Gentil. l. 3. c. 17. Schönb.  
3. c. 29. Joh. Gerhard. decad. 4. q. 9. liberam agendi facultatem

tem

rem extruunt, in eo, non rectâ incedunt viâ, ut clariss. probat  
Cl. Kirchnerus d. l. & lib. 2. c. 6. ubi Gailio & ipsum seqq satisfacit, ut & Dur. de Pascol. in aul. Pol. c. 40. Quod etiam ex sequenti clausula, que non rarò adjici solet: si quid amplius fieri oporteat, pro locorum, temporum ac personarum varietate curabis, interpretationem recipere potest. D. Busius disp. de Rep. 6. th. 15. D) Solennitas accidentalis consistit partim in Ceremoniis D adhibendis, quæ quia varia studio omisse, interim ex Autoribus peti possunt; partim in habitu, qui debet esse vernaculus vel patrius: magis enim deformat alienus, quàm quod conformet. Veteres certas adhibuere vestes, quas deponere Legatus nunquam & nusquam potest. Ad habitum refero annulum aureum, de quò Plinius lib. 33. c. 1. Sagmina, verbenam cum terra adhaerescente, laneum filum, quò velati erant, frondes oleæ & lauri, silices &c. de quibus omnibus Dn. Heiderus in Polit. Matth. Bortius hîc. th. 21. Haut absimilis vestitus Heroldorum nostro tempore, qui plerunq; vestem gestant pictam insignibus mittentis, variisq; coloribus variatam.

C O N C L. X.

Mitittur ad promovendam salutem Reip.

C O N C L. XI.

Missus est vel admittendus a) admissus mandatum exponat b) expositi responsionem exposcat c) vel dimittendus d) dimissus responsionem mittenti exponat. e)

A) Quilibet hosce admittere tenetur, nisi urgentissimis ducatur A causis. Nonnunquam quidam vel planè admittuntur, vel admissi non exauditi remittuntur. Illo modò mandata inhibitoria quandoq; à Principibus facta legimus Liv. 1. 22. 41. 42. Thucyd. 1. 3. In Dania superiori seculo quoad Legatos Pontificis idem contigit. Malè verò qui nullâ de causa interdictis Legationem eludunt & elidunt, ut Hannibal, item Gallia Rex in Legatione Caroli V. Imp. & Carolus V. ipse in exterorum Legatis, in publico Imperii conventu, non admissis. Quare maxumam objurgationem  
Mauritii

*Mauritii Electoris Saxon. incurrit Sleid. l. 24. de S. R. Non autem qualibet, & quam quis sibi ex proprio sui cerebelli liripipio imaginatur, sed quæ omnium gentium recto iudicio probatur, iusta & equa reputatur. Vid. omnino Kirch. 2. c. 2. num. 114. & seqq. Remissos Legatos inauditos & veterum & nostro ævo videmus. Sic remissi Pontificii Legati à Friderico I. Imp. Frising. de gest. Frid. Imp. l. 3. c. 10. & ad Imp. Paulum II. Pont. Exurgit*  
*Q.* *hec questio num causam inhibitionis & remissionis insinuare Legatis teneantur? Distinctione adhibita res salva erit. Admittendi & excipiendi sunt quam humanissime, & splendidissime. Vid. Kirchn. d. l. n. 14. Excepti in hospitium deducendi. Olim hospitium in palatiis & aedibus publicis. Patrio more, dicit Kirchner. d. l. in publicis diversoriis hospitium sortiuntur, ex quibus in Palatia Principum equis & rhedis ab ipsis missis evocari solent. Modum excipiendi Legatos apud Moscovitas eleganter describit Epitomator Olaii Magni lib. II. c. 9. B) Deducti in hospitium mature ad exponendum mandatum accersendi; accersitos Princeps humaniter excipiat, & timorem, si quem animadvertit, placido sermone & allocutione eximat Kirchn. d. l. Quod si moras necesse animadvertit Legatus, quod usu frequentissimum, roget, ut primo quoque accersatur tempore; si verò & illa nihil efficit, tunc quod diligentiam assequi nequit, nimiam instantiam, quin imò astutiam tentet. Exemplo nobis sit Legatus Venetus ad Sultatum missus, qui cum ipsi copia exponendi mandati denegaretur, depositam veste patriam, Turcicam togam induens, per turbam transit, & negotium conficiendum expeditum dedit. Quid si ille ad quem missus peregrine proficiscatur, num eum sequi tenebitur? Affirmativam amplectitur Magius l. 1. c. 2. Nos ex circumstantiis illud dijudicandum censemus. Quam verò linguam exponet mandatum? Vernaculam. Dede-  
*Q.* *cori quippe magis quam splendore & honori conjunctum peregrinam uti linguam. Et certè si illius ad quem mittitur, linguam utitur, sapit subjectionem, & nescio quid aliud. Romani nullam, nisi Romanorum linguam in Legationibus sunt usi. Val. l. 2. c. 1. Linguam latinam, quæ Europæorum commune hodiè vinculum à Lipsio dicitur æquè ac Germanicam apud exteros uti possunt. Kirch. 2. cap. 7. Hinc quidam, si legatus latinam tantum teneat, sufficere concludunt Gent. 3. cap. 7. Dur. de Pasc. quem Besoldus Protea quoad*  
*nomen**



nomen appellat, in aul. Pol. c. 49. Interim melioribus avibus res peragitur, si nec illius ad quem missus linguae ignarus, non ut illò stilo peroret, sed hoc modo status istius meliorem notitiam nancisci possit. Ex conversatione enim multa, quæ auditu utilissima, percipere potest; conversari autem commodè nequit, nisi & linguae cum quibus conversatus, peritus. Quâ Oratione? Atticâ Eloquentiam sapiat, non loquentiam. Oratio ipsa, inquit Kirchn. d. l. neq; nimis longa ad instar Scholasticæ declamationis, neq; culta nimis, ne nescio quid fuci lenociniivè sapiat &c. Vid. Dur. de Pascol. in aul. Polit. c. 48. Tumida, temeraria & thraonica verba absint; his enim res aliàs optuma facile vel pessimum sortiri solet exitum. Et si acerba quædam mandato inserta, ea lenimentò mitiora reddere studeat. Bod. c. 6. l. 5. C) Heic quoq; enixè enitatur, ut quemadmodum in admissione, sic dimissione non justò longius detineatur. Solenne etenim Principibus Viris in auctoramentum suæ dignitatis moras vel longissimas protrahere. Moras verò hasce nihil moretur, & propterea abutum instituat. Perpendat è contra ille ad quem missus, reciproca & relata esse admittere & audire, admissum dimittere, auditisq; respondere. Non ineptè Aristhemus Achaorum Prætor censuit; satius esse non admittere & audire Legatos, quàm auditos sine responso dimittere Liv. l. 2. bell. Maced. Imò quemadmodum Legati cogi possunt, ut mandata exponant; sic & illi, secundum quosdam Politicos, rursus compelli possunt, ut respondeant. Interim sese abstineant à baculo Pompiliano, & gladio Corneliano. D) Quemadmodum excepti & admissi, ita rursus sunt dimittendi. Dimittendis quoq; munera dari solent, de quibus graviter disceptatur, an Legati illa accipere possint? Distinctio rem dirimet. E) Dimissus statim ac redierit mandati expositi responsionem Mittenti suo exponat; Et nihil, quod non ad rem, immisceat, nihil vendicet sibi indignatio, comminatio, si fortè minus jucunda inaudierit, nec sit, ut Schönb. loquitur 3. c. 30. incendiarius turbarum, nec wūg dñi wūg addat. Audiatur heic mittens consilium Cominei Viri suò seculò longè prudentissimi, quod habet l. i. de gest. Ludov. XI. Gall. Reg. pag. mihi. 54. quò Lectorem brevitatis ergò remitto.

Q.

C

D

Q.

E

C

CONCL.

In Legato requirimus Apparatum a) & jus, quod vel personam b) vel Res spectat c)

**A** Apparatus non tantum sit necessitatis, sed & honestatis, hoc est pomposa sit legatio. Pompa verò consideratur vel in personis, vel rebus. Personarum respectu occurrit Comitatus, qui ut selectissimus è nobilioribus & prudentioribus, qui vel singuli legationem obire possent, sit, sedulo procurandum. Nec improbamus quod Lev. in f. c. 2. de leg., monet, magni generis, optumæq; spes Adolescentes in Comitatum assumendos, qui exterorum mores, instituta, loca, aliæq; perlustrent, sicq; quodammodo rationem legationis obeunda addiscant. Quod de numero quæri solet, illud decisionem ex concl. 7. lit. A. accipere potest. Legatio non legio sit; perpendantq; plurium presentiam plurium periculorum presentiam augere; cum delicta illorum in ipsos deriventur. l. 24. ff. de jud. Rerum nomine intelligimus legativum & supellectilem: Illud necessarios & utiles continet sumtus, quos Mittens suppeditare debet. Legatus sumtuum erogationem aestimabit è Mittentis dignitate & utilitate. Hac quid contineatur, docet J. C. in l. 3. & seqq. de supell. leg. & ibi Dd. **B**) Jus quod personæ competit consideratur vel in, vel post legationem. In legatione est SECURITAS ET EXISTIMATIO. Quod securitatem attinet, legati tacitæ gentium conventionem, securitate gaudent l. f. ff. de leg. legationum jus, Cicer. diribitore. 3. in Verr. humanò divinoq; vallatum præsidio est, cujus tam sanctum & venerabile nomen esse debet, ut non modò intra sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur. Sancta sunt, inquit Varro. 3. de ll. corpora legatorum, id est, ab injuria hominum defensa atq; munita. Sacrum è contra Liv. l. 3. & J. C. appellant, qui Legatos violat Alex. ab Alex. 5. 3. & L. Jul. de vi publica tenetur, l. 7. ad L. Jul. de vi publ. dediturq; violatis. l. f. ff. h. t. Romani DEOS immortales violatorum Legatorum vindices acerrimos esse putarunt. Sueton. in C. Cæl. Optimè Marcell. 15. vigilat justitiæ oculus sempiternus; ultricesq; legatorum diræ violationem juris Gentium persequuntur. Et semper Adastriam Deam hoc factò ipso comprobasse, omnis ævi historie satis testatum faciunt. Sunt qui justiore belli causam nullam dari ducant, quàm violationem legatorum. **Q**ueritur,

*tur, An securitas indiscriminatim ubiq; locum habeat? Gentil. 2. c. 2. stricto jure tantum locum securitati præberi dicit apud eum, ad quem missus. Kirchn. contra ubivis locorum & gentium legatos securitatem deberi edisserit 2. c. 1. 2. 3. & seqq. Quod mihi quoq; non displicet, si modò Legatus fines juris gentium non egreditur. Eleganter explicat rem præsentem Matth. Bortius th. 16. lit. C. Paucis. Si jus gentium Legatus attendit, & tu illud attendas, æquum est: & contra. Hæc quæ hætenus de legatione diximus, dextrè interpreteris volo: obtinet siquidem tantum si veræ legationis partes observârît. Sin minus, tunc concludimus cum Justiniano apud Procop. de bell. Vand. dum sic Bizantium Legatos alloquitur: tamdiu jus non violandorum Legatorum servandum est, quoad ipsi jus honestatemq; servaverint. Undè si durante Legatione alicubi deliquerit, in loco delicti contra eum experiri possumus. An verò communiter de omni delicto tenebitur? N. Legatus etenim censetur jure gentium, ergò de illo tantum delicto, q; jure Gent. puniendum venit tenebitur. Legatus igitur delinquens, salvò jure Gentium capi, captus retineri, retentus puniri potest. Hæc ferè ab omnibus moveri controversia solet, An Legatus conjurans in Principem vel Remp. salvò gentium jure plecti possit? Anticipitem, inquit D. Præceptor Arumæus juris tam publici quàm privati peritissimus, nostris temporibus in Anglia habuit disputationem, & c. Negativæ sententiæ tum temporis patrocinator Alb. Gentilis, & post eum Kirchnerus & alii. Affirmativam propugnat D. Arumæus in explic. A. B. c. 1. q. 7. ubi multa profert fundamenta, quæ huc transcribere temporis & chartæ angustia non permittit, ubi quoq; Gentilis sententiæ oppugnat. Nos hac vice Kirchneri argumenta videbimus. Primò quidem lubente concedimus mente & manu, graviolem pœnam delictò non esse debere. Sed nihil ad rem præsentem. Quod secundo loco de prudentia Roman. objicit, illud nihil probat; nam non quod factum, sed quod fieri debuerit, attendendum; & ut D. Arumæus loquitur; magnanimitatis Romanorum, non juris sunt exempla, qualia nos in exemplum trahi, q; ex jure differimus, non admittimus. Anonymus quidam in tr. hac de re Argentor. à Zetznero expresso, miranda non imitanda Rom. exempla affirmat. Tertiò quod de nullitate criminis læsæ Majest. producit, illud ipsum facilem ex propriis ipsius*

Q.

Q.

verbis, quæ habet in disp. de Rep. 7. th. 2. lit. B. refutationem recipere potest, ubi sic infert: rectè animadvertit Paurm. de juridict. Rom. Imp. l. 1. c. 3. nu. 22. Bodiniane Majestatis definitionem etiam in eò angustiore esse, qui peregrinos, in quos summa Reip. potestas quoq; exerceatur, excluderit. Nam si Majest. etiam exercetur in peregrinos, sequitur etiam, quod crimen læsæ Majest. committatur à peregrinis, sed prius patet ex præallegatis verbis; ergò & posterius erit adamantinū. Ergò & Legatus crim. læsæ Maj. reus fieri potest. Quodq; quartò apponit, Legatum peregrino Principi nullà subjectione aut nexu obligatum; eò ipsò quoq; à veritatis orbita aberrat: siquidem eò ipsò dum delinquit, subiectum sese, ipsò juris gentium dictamine, reddit. Nam cum omnes penè contractus, ut Justinianus in §. 2. l. de J. N. G. vel J. C. Hermogenianus in l. 5. ff. de J. & J. loquitur, obligationes ex jure gentium introductæ, sequitur quod & ille, quæ ex delicto proveniunt, jure gentium introductæ. Quod quintò locò de conjuratione obtendit, quasi illa non in catalogo delictorum apud Gentes reperitur, à vero dissonum est. Conjunctio etenim jure gentium non postremum delictum habetur. Quod ut eò evidentius appareat, D. Arumæi verba huc transcribere & licet & libet; id juris gentium esse perhibetur, quò gentes utuntur. §. jus autem civile. l. 1. de J. N. G. Gentium verò instituta, moresq; conjurantem licet effectum non ferat, puniunt. Apud Macedones Parmenio Alexandro quamvis gratissimus, & socii detectà conjuratione supplicium subire. Q. Curt. l. 6. hist. Item adducit exempla Persarum, Ægyptiorum, Græcorum, Hispanorum, Gallorum, Ungarorum, Anglorum & c. quorum catalogum, non totam historiam, redimendi temporis gratiâ, heic annexere placuit. Jus gentium ergò, inquit ulterius, etiam punit conatum, & si non puniret, miserrima Regum conditio foret, quibus de affectu Tyrannidis, nisi occisis credi non non posset. Deniq; non patrocinantur Kirchnero exempla; siquidem exemplum Verris è Lampascenorum manibus impunè evadentis & c. adducit; factum est, non jus. Ipse n. 125. d. l. consentit & concludit capitaliter in Legatum animadverti posse ob illa delicta, tam divinis, quàm naturalibus ll. sanguinis pœnam promerentia. Jam verò tale crimen patraverat Verres, dum vim virgini intenterat. Ergò. Nec Phileæ Tarentinorum legati exemplum quicquam nos stringit, cum diversissima facti species. Rursus cadit  
sub

Q.

sub famigerabilem *Questionem*; an is teneatur Legato securitatem prestare, cujus Legati antea ab ipso violati? Negativam tenent & tuentur Gent. 2. c. 6. Kirchn. 2. c. 1. n. 170. & seqq. & Politici communiter. Verum nihil obstantibus negantium rationibus affirmativa sententia mihi multo mitior & equior videtur, Besold. Cl. 2. disp. 8. th. 11. Cl. Dn. Præceptor Heiderus in lect. Pol. ubi haut ineptè & indoctè admonet, compensanda esse delicta non emulatione culpæ, sed irrogatione pœnæ, nec perjuriam perjuriis, sed justâ discessione à pactis & fœderibus ab altera parte rescissis vindicanda. Imitemur exempla Veterum, præsertim Romanorum, de quibus Appianus de bell. Pun. excellenter elegans, & eleganter excellens exemplum proponit, quò brevitati studens Lectorem remissum volo. Defendat se, non vindicet. Defendet autem, si legitimo modo hoc expediet; Vindicabit, si prædictò modò, Violatoris Legatos violando, procedet. Et dicat mihi quispiam, quodnam deniq; post vindicationem remedium conciliationis superesse, & per quemnam in effectum deduci possit, nisi per legatos. Optumè Herodes apud Egesipp. l. 14. cap. 36. dixit, inter arma hostilia solam legationem pacis sequestram esse. Appositè Tholos. l. 11. c. 10. n. 14. de Rep. quem adire licet. Existimationem quod atinet, Legatus eandem cum mittente obtinet dignitatem, quæ in legato non nisi cum extrema Mittentis injuria leditur. Hoc casu legatus diligenter attendat, ne quid existimationis Mittenti suo pereat; imiteturq; Veteres & recentiores Legatos, qui si forsitan quidam quippiam de dignitatis apice præcidere conati, singulari prudentia conatum illorum elusere. Sic Q. Martius Philippus Rom. Legatus singulari stratagemate superioritatem & auctoritatem Romanorum illibatam conservavit, de quò Bod. de Rep. 9. Notissima Legati Caroli V. ad Turcicum Imp. historia, quam refert Warsev. in Orat. de leg. Cum enim Legatis Imper. Germani in aula Turcica præminentie intuitu concedi soleat, ut sedendo, aliorum regum Legati stando mandata exponant; & Caroli Legatus ad expositionem mandati accitus aliquandiu stetisset, neq; considerare jussus, pallio, quod habuit strato, insedit, & mandata intrepidè exposuit, mox consurgens, pallium reliquit, interrogatus à Turcis, cur id faceret, Cesaris Legatum sellam sibi portare non solere, falsè respondit. Huc pertinet elegans factum Generosiss. Dn. Davidis Ungnadii eadem in aula. Non insistendum vestigiis Themistoclis

*Legati ad Persarum Regem, de quo Bod. 2. c. 2. Quanta verò contentiones omni tempore de prærogativa inter Legatos excitata, maximoq; labore sedata, abundè ex historiis constat, & satis explicatum D. Arumæus ad c. 6. A. B. dedit. Et hæc concertatio non paucos tragicos exhibuit casus, de quibus Idem d. l. & quæst. 4. ad pt. A. B. Generosi quippe Spiritus quidvis potius, quàm injurias perferre solent. Est q; illis quasi innatum circa honoris sui prærogativas cautè versari, nec ullius rei jacturam gravius, quàm ejusdem imminutionem patiuntur. Hactenus de juribus, quibus in Legatione fruitur, nunc succedunt, quibus post Legationem gaudet, quorum catalogum habemus in jure civili, ergò relationem certis de causis, hæc suspendere cogor. Sunt quidem nonnulli, qui quædam illis intervertere conantur, sed irrito conatu, de quo forsitan in actu ipso. C) Vidimus jus Personarum, nunc quoq; ordinis ratio postularet, ut de jure quoad res differeremus; Verùm quia, & illud ex jure Civili commodè desumi potest, hæc vela nolens. volens contraho, ne disputationem scripturus in volumen excrescat. Interim videri possunt, qui hanc materiam persecuti, potissimùm Matth. Bort. disp. hac de re th. 16. lit. B. & seqq. Amplifs. Dn. Præceptor Foman ad l. 2. C. de jurisd. q. 13. 14. & c. Privilegia legatis concessa, ad Comites quoq; ipsorum extenduntur arg. l. 12. §. 1. de vac. & exc. mun. quoniam & eadem indulta Studiosorum famulis, quæ ipsis Studiosis Dd. comm.*

CONCL. XIII.

Contrarii nostro Legato, qui mentitam obtinent legationem a) quiq; speculandi ergò ablegantur. b)

A) Gaudebunt nè jure legationis? D. vel omninò non sunt Legati, vel sunt, sed non respectu illius, ad quem se missos affirmant: priori modo non gaudebunt; posteriori æquius est illos illo uti-frui.

B) An hi gaudebunt? Non. Interim moniti exemplo Veterum plus humanitati, quàm severitati hoc casu dandum, existimamus. Reliqua quæ hanc spectare materiam videntur

----- spaciis exclusus iniquis.

Prætereo, atq; aliis post me memoranda relinquo.

COROL.



# COROLLARIA

*I.*

**A**n jure Legatus Moscovi  
aula Imp. custodiae traditus?

*II.*

An poenae gratiam Princeps, salva conscientia  
facere potest?

*III.*

Resp. nulla fuisset, si lapsus non contigisset

*IV.*

An jurisdictionis tres species?

*V.*

An Princeps in alterius territorio delinquens  
dem forum sortitur?

*VI.*

Legatum sub conditione religionis Pontifici  
plexandae relictum, ea neglecta, nihil  
peti potest.

*VII.*

Electoriale collegium consuetudine introductum

*VIII.*

Electores Seculares ab Episcopo Bapæberge  
ctoratus dignitatem non recognoscunt

*I.*

IX.

Calviniani privilegiō pacificationis religiosæ Passav.  
non gaudent.

X.

Beneficium emigrationis est necessitatis?

XI.

scholæ particulares majores, quas vulgò Gymnasia  
vocant, relegati suis jure non gaudent.

*Paradoxum.*

Qui in collegio aliquo est, & Doctor vel Magister  
non audit alii Doctoratus vel Magisterii digni-  
tatem conferre potest.

F I N I S.



1017



*B. M. II,*  
*fi. 26, 17*

DN. J

GE C

TYPIS

873/  
CA

II R  
5214

I S.

HIANDRI  
a Salana

TARDUS,

tere:

auchmaße.

43

